

† A. R. P. Augustinus Khuon.

(Prov. Germ. super.)

Provincia Germaniae superioris, cui nuper homo meritis et ingenio insignis P. Antonius Speidel ereptus erat, mox die 11 ianuarii a. 1923 de-



nuo maxime afflicta est morte item inopinata A. R. P. Augustini Khuon, Rectoris domus Garsensis, cuius mors non nostros tantum, sed clerum populumque omnem maerore afflixit maximo. Testis est epistula, quam Eñus Cardinalis Faulhaber, Archiepiscopus Monacensis ad nos dedit, cum nuntium lugubrem accepisset: « Hic in nosocomio commoratus nuntium accipio me percellentem de obitu Patris nostri Khuon, Rectoris a Deo foti. Iterum Congregatio S. Alphonsi in Bavaria missionarium iuxta cor Dei amisit, atque archidioecesis Monacensis collegio Garsensi sensus suos

his verbis effert: *Damnum vestrum ipsum meum damnum est* ».

Augustinus Carolus Otto Khuon in oppido Bavariae Dinkelsbuehl die 2 septembris a. 1875 natus est loco mediocri. Pater magistratum quendam tenebat. Puero numquam sollicitudo matris piae curaue defuit, quae nec domi nec foris eum custodire desiit. Ut erat indole insigni, praeter morem tunc vigentem iam puer decem annorum ac dimidii ad s. mensam admissus est. A puero vehementi sacerdotii desiderio tenebatur. At eheu, quot quantisque ambagibus superatis voti tandem compos factus est!

Quia magno floruit ingenio, parentes eum inter seminarii Eichstaettensis alumnos adscribendum curaverunt; sed cum iam omnia parata essent, adversis rebus familiaribus impeditus est, quominus illud consilium perficeretur, quare scholam, quam dicunt, realem in oppido suo adiit, ubi tamen linguae latinae addiscendae occasio non erat. Paucis annis post, cum pater in aliam regionem migravisset, iterum spes affulsit eum ad studium humanitatis transire posse, sed etiam hac spe deiectus est, quia aetatem praescriptam excesserat. Aliam itaque vitae condicionem eligere coactus fori iudiciarii scribam Landishutae ad Isaram primum egit, postea Frisingis, ubi tutela matris diligentissimae satisque severae exutus atque arbitrii sui factus bonae educationis frugem optimam percepit. Nam cum animi indole hilari et praeclara corporis forma praeditus esset, haud leviter virtus eius morumque integritas periclitabatur; attamen sacra synaxi, ad quam ex consuetudine diuturna quavis hebdomade accedebat, ac praesidio B. Mariae V., erga quam tenerrimum amorem quasi matris haereditatem ac-

ceperat, munitus incolumem semper se servavit. Cum annorum esset septendecim, exemplo S. Aloisii ductus ante altare Deiparae votum castitatis fecit. Eadem divina Mater tandem ad sacerdotium eum manu duxisse videtur. Frisingis enim, cum denuo sacerdotii desiderio incenderetur, muneris sui officia diurna exsecutus vesperi studia humanitatis repetebat, ac tandem multis impedimentis superatis, cum vicesimum aetatis annum ageret, assecutus est, ut in iuvenatum provinciae Germaniae superioris, qui tum in Monte Arido (Duernberg) erat, reciperetur, die 23 martii a. 1895.

Sine dubio convictus iuniorum, cum provector esset aetate, et regularum vincula, cum prius libertate uti solitus esset, haud parum ei abnegationis pepererunt. Sed in proposito constans metam tandem assecutus est. Die 13 augusti a. 1898 in novitiatum admissus anno sequenti festo Nativitatis B. M. V. ad vota admissus est, quo facto studiis humanitatis absolutis in studentatu Mauternensi provinciae Vindobonensis philosophiae ac theologiae operam dedit, quae quanta industria subierit, e ministerio eius apostolico satis eluxit. Tandem die 31 iulii a. 1904 sacerdotio initiatus est.

Absolutis studiis theologicis in iuvenatu per breve tempus lectoris munere functus est, ac secundo novitiatu persoluto a. 1907 ad opus apostolicum transiit, in quo usque ad supremos vitae dies missiones et exercitia spiritualia alia ex aliis eo studio animarumque fructu peregit, ut dignus sit, qui inter operarios nostros apostolicos maxime strenuos idoneosque numeretur, quem numquam laboris aut operae pertaesum sit.

Iam mature munera officiaque gravia a superioribus ei commissa sunt, neque spem eorum fefellit. Inde ab anno 1909 munere Rectoris Chambensis et Deggendorffensis, Directoris iuvenatus Guntiani (Guenzburg) functus a. 1919 novum hospitium in Monte Venusto (Schoeneberg) in Wuerttembergia nobis oblatum instituere iussus est, quod munus magna sollicitudine ac sollertia perfecit. Tandem anno 1921 Rector collegii Garsensis creatus est, quamquam ipse a munere superioris iam liberari desideraverat. Quot quantosque labores in regendis his domibus susceperit, vix quisquam enumerare potest. At mira quadam dexteritate, vel potius Dei benedictione usus cuncta bene gessit aptissimumque se ad temporalia praesertim negotia administranda praebuit. In conficiendis enim et emendandis catalogis, in officinis instituendis et complendis diligentissimus fuit.

Multum autem afuit, ut subditis nimis indulgeret regularemve observantiam neglegeret. Id semper egit, ut amor fraternus vigeret sodalesque in Congregatione bene se haberent. Praecipue vero in rebus ad paupertatem pertinentibus anxius potius quam lassus esse videbatur.

Inter superioris vero onera curasque munus apostolicum numquam neglexit. Numerus missionum ab eo habitarum 150 superat. In ordinandis missionibus singularem quandam sollertiam et facultatem ostendit mis-

sionis rationem fidelium necessitati accommodandi, neque umquam omisit. inquirere, quid quoque loco animis usui esset. Ipse quoque numquam non ad studia incumbens conciones elaboratas iterum atque iterum pro rerum necessitate mutavit atque emendavit, cum tritis nollet insistere vestigiis, atque operam dedit, ut pro fidelium diversitate ac temporum varietate diversa proferret, numquam tamen a concionandi ratione a S. P. N. Alphonso tradita et inculcata recedens. Quare, ut Apostoli verbis utar, omnibus omnia factus est, nec mirum, si mota omnium admiratione animos parochorum et fidelium, hominum doctorum aequae ac rusticorum brevi sibi conciliavit et devinxit, idque non magis sermonis vi ac fervore quam morum humanitate et affabilitate.

Sed inter opera ista assidua praeter omnium opinionem morte correptus est. Cum enim die 8 ianuarii ab exercitiis spiritualibus puellarum levi morbo correptus revertisset, e quo medicus periculum nullum suspicabatur, triduo post primo mane morbus subito tam vehementer ingravescere coepit, ut statim ss. sacramentis muniretur et medici advolantes salutem eius desperarent. Ac profecto post duodecim horas inter orationes Patrum Fratrumque multorum moribundo astantium animam placide Deo reddidit. Confidimus fore, ut a laboribus requiescat; opera enim eius sequuntur illum.